



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXI. Vulnera Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XX. VOTA RELIGIOSA.

Figura, Symbola.

Vota Religionis significantur in tribus factis Joseph. *Primum* est, quando mulierem impudicam contempsit. Gen. 39. 8. *Secundum*, quando pallium abiecit, id est, temporalia. ib. v. 12. *Tertium*, quando in carcere reclusus fuit sub alterius potestate. ibid. v. 20. Unde Jacob dixit, benedicens ei: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens*. Gen. 49. 22. Ter dicit *accrescens*; bis explicitè, semel implicitè: *Joseph enim accrescens* interpretatur. Hugo Card. in Luc. 1.

Ut camus viam trium dierum. Ex. 5. 3. Hæc via trium dierum, est triplex Votum, quod fit in Religione; quæ per solitudinem designatur: videlicet Votum obedientiæ, paupertatis, & Castitatis. Idem in Ps. 38.

Candidiores nive &c. Thren. 4. 7. In nive, & lacte, castitas; in ebore antiquo jugis, & fortis, obedientia; in saphyro, qui cælestis est coloris, paupertas; quæ spem in solum Deum figit. Cornelius in Num. 6. 2.

Obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Per aurum intelligit S. Bonaventura hic s. in Epiph. paupertatem; per thus obedientiam; per myrrham castitatem.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via &c. Matth. 21. 8. &c. Hæc omnia Religiosi exequentur: hi enim non

modo diurnum, nocturnumque precum pensum, quâ voce, quâ mente; ex Ordinis, vel Sacerdotii, cui se illigârunt, præcepto persolvunt: verum etiam suis omnibus bonis, per paupertatis leges, se abdicant: corpus, animam vestem, per castitatis votum Deum consecrant: potiorumque sui partem, animam videlicet, Superiorum ad nutus, per obedientiam inflectunt, ut jumentum facti apud Deum. Doultreman, l. 1. c. 5. Sect. 2.

Per pauperes, debiles, cæcos. Luc. 14. 21. S. Basilius Seleuc. or. 30. vel V. Beda: intellige tria vota Religionis.

Altare. Hebr. 9. 4. est obedientia; *mensa* paupertas, quæ Deo se, & sua, quasi in mensa offert, ac vicissim à Deo alitur; *candelabrum* castitas. Cornelius hic.

Consonat Votum paupertatis elemosynæ votum obedientiæ orationi, Votum castitatis jejunio. Gerson de laude Scriptorum Confid. 5.

Specimen Religiosæ disciplinæ valde præclarum præterdit in Eucharistia JESUS: paupertatis, cum panis, & vini, accidentium involucris obtegitur: castitatis, cum purissimam triticæ materiæ portionem exigit ad consecrationem panis: Obedientiæ, cum ad vocem hominis Creator obtemperat. Arcones in Isa. 4. Disc. 7.

TITULUS XXI. VULNERA CHRISTI.

§. I.

Figura, Symbola. Ex Veteri.

Mansiunculas in arca facies. Gen. 6. 14. Quinq; camerae in arca, sunt quinque Vulnera in carne Christi. Mansiunculas in ea facies, non mansiones: quia tantum humiles in ea habitant. *Sinite parvulos venire ad me*. Hugo Card. hic.

Rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataractæ cæli aperti sunt. Gen. 7. 11. Aspice illos fontes manuum ac pedum, Domini tui, sacrum sanguinem manantes, & inundantes: vide apertas cataractas cæli; ut inundet diluvium gratiæ ad nostram malitiam, & superbiam, submergendam. S. Bernardinus tom. 1. p. 1. s. 55. art. 4.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis &c. Gen. 9. 12. Illud quidem signum (iris) cum nubibus transibit; ipsum autem fœdus, cujus signum est, id est, memoriale nostræ Redemptionis, in sempiternum permanebit in conspectu Patris in carne Filij ejus, in

cicatricibus vulnerum, manuum, pedum, ac lateris ejus Rupertus l. 4. c. 36. in Gen.

Quod cum vidissent viri Israel, se in arcto positus, absconderunt se in speluncis. 1. Reg. 13. 6. Sic aliqui Christiani, cernentes, se undique à diabolo, Mundo, & Carne, tentari; in foramine petræ, in fossa humo, id est, in Christi vulneribus, & in Dominicæ Passionis memoriâ, salubriter se occultant; & in propriæ humiliationis profundo se celant; atque in tantum parvi pendunt, & quasi nihil se reputant, quo dâ dæmonibus nequeunt tangi. Dion. Carth. apud Mendozam hic.

Tulit baculum suum - & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente &c. 1. Reg. 17. 40. Goliath, id est, diabolus, baculo Crucis; & quinque lapidibus, id est, quinque plagis, stravit. S. Bonaventura l. 2. D. 2. Adv. Verè turris David, qui superbium Goliath quinque lapidibus de torrente, id est, quinque vulneribus; & Crucis baculo; gloriantem in Calvariæ monte prostravit. S. Thom. Vill. conc. 1. de assumpt. V. B. Margaritæ de Cortona dicebat Christus: Si vis puritatem inviolabiliter custo-

custodire, fer tecum quinque lapides meorum; vulnerum; & cum eis tuum hostem in fronte percutes. Bollandus 22. Febr.

Apparuerunt fontes aquarum. Pf. 17. 16. Fontes sunt Vulnera JESU Christi; quæ sunt fontes aquarum, id est, gratiarum. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.* II. 12. 3. id est, de Vulneribus JESU Christi. Hugo Card. hic.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Pf. 21. 17. *Foderunt* non transitorie debemus accipere: quia terra tunc varios foetus germinat, quando hominum studio cognoscitur exarata. Quod contigit in corpore Domini Salvatoris: illud enim clavis affixum, laeacæ perforatum, fructum nobis intulit sine fine mansurum. Casiodorus hic. Non dixit, transfixerunt, sed *foderunt*: ut notet fructum, qui inde secutus est, scilicet æterna beatitudo. Fossa parit tellus. Hugo Card. hic.

Introibit Rex gloria. Psal. 23. 7. Christus quinque dicitur Rex gloriae. Cur id? pro numero Vulnerum acclamant Regiam dignitatem. S. August. l. 178. de temp. viderunt Cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum; & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis, *quis est iste Rex gloriae?* Sylveira in Joan. 19. q. 13.

Oleum effusum. Cant. 1. 2. Quinq; vulnera Domini, quinque, fontes olei sunt, fundentes pretium Redemptionis nostræ; quod solvamus cuncta nostra debita; & emamus dona gratiæ divinæ. de Ponte hic Exh. 29. §. 1.

Columba mea in foraminibus petrae &c. Cant. 2. 14. Benedictus, qui, ut nidificare possem in foraminibus petrae; manus, pedes, & latus, perforari sibi tulit: & sic mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabili, & protegar in abscondito tabernaculi sui. Guaricus l. 4. in Ram. palm. *Petra erat Christus.* Quæ sunt foramina petrae, nisi vulnera? quæ pro nostra salute suscepit Christus. In quibus profecto foraminibus columba residet, ac nidificat; cum anima quæque mitis in Passione Dominica spem suæ salutis unicum ponit; cum in Sacramento mortis ejus sese ab insidiis hostis anti-qui, quasi à rapto accipitris, tutari confidit. V. Bedal. 3. in Cant. hic. Per foramen petrae, vulnera manuum, ac pedum, Christi in Cruce pendens libenter intellexerim. Cavernam verò maceræ vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. S. Gregor. hic. Si, juxta expositionem Apostoli, *petra erat Christus.* I. Cor. 10. 4. quæ sunt foramina petrae? nisi vulnera, quæ pro nostra salute suscepit Christus. V. Bedal. hic. Foramina petrae, plagæ sunt corporis: caverna maceræ, apertio est lateris. Sim. Casl. l. 3. in Joan. 3. 16. In foraminibus petrae, id est, Vulneribus, quæ pro salute sponsæ sponsum accepit. S. Isidorus hic. Non ob aliud Ecclesia columba vocatur, nisi quia est sine dolo; & Spiritu S. repletur. Habitat in foraminibus petrae: quia semper receptaculum habet in his, ex quibus sanata est, Vulneribus Christi. S. Justus Orgel. hic. Visceribus misericordiæ suæ charitas JESU ab effusione, imò à perfossione lateris, non pepercit: ut te semel in

ipsis cavernis pedum, manuum, & lateris, quasi columbam, per hanc aperturam recepto, ad omne suum consilium admitteret, gaudiis admisceret, divinitati adjungeret, æternitati statueret, beatitudini Angelicæ adæquaret. Petrus Cell. cap. 19. Foramina petrae sunt vulnera, quæ pro salute nostra in Cruce suscipit. S. Thom. Aqu. hic Columba. Lem. *Secura nidificat.* Et revera, ubi tuta, firmaque, infirmis securitas, & requies, nisi in Vulneribus Salvatoris? tantò illic securior habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit Mundum, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado: firmatus enim supra firmam petram. S. Bernardus ser. 61. in Cant. Picinelli.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Quidam dicunt, quòd flos campi dicitur quidam parvus flos, valde rubicundus habens; quinque folia, sicut Christus quinque vulnera rubicunda. S. Bonaventura l. 3. in Refurr. Dom.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini. Isa. 2. 10. Ingredere in petram, o homo! abscondere in fossa humo; pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse petra, ipse humus: quia DEUS, & homo. Ipse petra forata, humus fossa. *Quia foderunt manus meas,* inquit, *at pedes meos.* Psal. 21. 17. Abscondere, inquit, in fossa humo à facie timoris Domini, hoc est, ab ipso fuge ad ipsum; à Judice ad Redemptorem; à tribunali ad Crucem. Guaricus l. 4. Dom. Palm. Ingredere in petram, id est, divinitatem Christi: abscondere in fossa humo, id est, in Vulneribus Christi. Quin hac petra est, solus est: qui extra hanc est, in multitudine est. In hac solitudine mentis tanta gratia, & illuminatio mentis percipitur; ut percipiens sit gravis aliis ad videndum. Sicut Moyses solus manens in monte cum Deo quadraginta diebus & noctibus. Ex. 24. 18. S. Albertus parad. an. c. 32.

In manibus meis descripsi te. Isa. 49. 16. Vulnera sunt literæ, clavi calami, sanguis atramentum, Diez. Conc. 2. in Asc. Dom.

Ex Novo.

Faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 3. In ipso volo facere tria tabernacula: unum in manibus, aliud in pedibus, & tertium majus in latere suo; in quo volo quiescere, & dormire; bibere, legere, & orare. S. Bonaventura. Stimulo amor. c. 1.

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2. 22. Emitur Redemptor quinque siclis à Virgine, qui quinque plagis totum erat Mundum redempturus. S. Thom. Vill. conc. in Purif. V. Voluit quinque siclis redimi, quemadmodum ipse redempturus erat Mundum quinque principalibus plagis. S. Vinc. Ferr. l. de Purif. V.

Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos. Joan. 6. 9. Nota, quòd hi quinque panes, quinque vulnera Christi, sunt; qui multum reficiunt animam devotam. I. Reg. 21. 3. *Si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi.* S. Bonaventura serm. 3. D. 4. Quadr.

Yyy yy 3

Ego

Ego sum pastor bonus. Joan. 10. 14. *o bone Pastor! ego sum illa ovis, quæ perit; pro qua in cruce posuisti animam tuam. Ecce ego agnosce eam; & introduce eam in caulas vulnorum tuorum; & tuâ Passione custodi diligenter.* S. Laur. Just. de inc. am. c. 4.

Ex Patribus & aliis.

Signaculum regiam Crux est est; quam si in cordis nostri memoria portaverimus, tanti regionem Regis, quæ sinem non habet, securè poterimus transire. Habet hoc sigillum imaginem Crucifixi Jesu: in ipso sigillo Crucis multis fissuris effossam, & impressam; sicut in sigillis imago rerum exprimitur fodiendo. &c. S. Bernardus tr. de Pass. Dom. c. 44.

Numerus dictionum, quæ ponuntur in consecrationis forma, quinquarius est. Nam sicut per quinque Vulnera Christi sanguis principaliter emanavit; sic etiam per quinque perficitur ista. S. Bernardinus tom. 2. l. 54.

Lecti animæ, sunt quinque Christi vulnera, ubi contemplando quiescit. S. Vincent. Ferr.

O quàm multas rubeas rosas, ex singulis plagis, & vulneribus suis mitissimus JESUS produxit! omnibus aromatis suaviore, & pulchriores. Thom. Kemp. ferm. 8. ad Novit. pag. 3.

Christus S. Therisæ quinque rosas in sui corporis paradiso ostendit. Gertrudis l. 4. c. 35. gratias agit SSS. Trinitati pro roseis vulneribus sui unice electi amatoris, Nadasi Ros. cœli rosa 2.

Franciscus Lucas observat, nescio quam vulherum imaginem agnos in mediis pedum vobis perpetuò gestare, non dissimilem Christi, veri Agni, clavorum fixuris. Doultreman l. 2. c. 2. Sect. 6. Crucifixio. Balsami, liquor, scissò plantæ cortice, promanat. Lem. *Aliis mea plaga medetur.* Masenius.

§. II.

Vulnera Christi benefica, salubria.

Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42. Hæc est fidei plena devotio; ut cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate ejus venia postuletur S. Maximus hom. 1. de S. Latrone.

Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Cum Discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax q. d. pacem offero vobis; sed quæ effusò sanguine, diris vulneribus, comparata. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. Sect. 1. Obs. 6.

Opus manuum tuarum, Domine, nè despicias: Vulnera manuum tuarum, ut aspicias. S. August. Solil. c. 2.

Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta, & firma, requies est infirmis, & peccatoribus, in Vulneribus Salvatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex Vulneribus Domini mei: quoniam

miseri cordiâ affluunt. Nec desunt foramina, per quæ affluunt; per foramina corporis patent mihi arcana cordis. S. August. Manuali cap. 21.

Stat Martyr tripudians, & triumphans: totò licet lacerò corpore, & rimante latera ferrò; non malò fortiter, sed & alacriter, sacrum è corpore suo circumspicit ebullire cruorem: Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus JESU; Vulneribus nimirum patentibus ad introcundum. S. Bernardus l. 61. in Cant.

Da mihi Vulnera tuâ! Hæc super cœlum ambit cor meum; super solem illuminant intellectum meum; super ignem accendunt affectum meum; super aerem fecundant sermonem meum; super aquam emolliunt animum meum; super terram stabiliunt affectum meum. S. Laur. Just. de inc. div. am. c. 4.

O beata vulnera! o locus deliciarum! de isto enim lateris medio fons omnis dulcoris, & suavitatis, emanat. Idem ibid. c. 2.

Christi quinque partito vulnere caro profoditur: ut nos à vitiorum, quæ in nos per quinque sensus ingrediuntur, irruptione curemur. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 1.

Quinque nostrorum sensuum vulnera illis quinque Domini corporis cicatricibus sunt sanata. Idem l. 7. ep. 5.

Foramina petræ, Vulnera sunt Redemptoris: quæ profectò non casu quinque sunt. Sed quia nos fueramus quinq; sensuum vulneribus fauciati, per has quinque plagas salutis sumus perpetuè restituti. Idem opusc. 50. c. 2.

O admiranda, & veneranda JESU Christi! o certè vita, dulcedo; & spes nostra! S. Bonaventura Stim. am. c. 1.

Ecce aperta est apotheca paradisi, omnibus aromatis medicinalibus tota plena: ibi, quascunque volueris, species accipies. Idem ibidem.

Quando absolvitur peccator, debet cogitare, quòd omnia Vulnera Christi sunt aperta, & sanguis effunditur super eum. S. Vinc. Ferr. l. 1. fer. 5. post Oculi.

Deformitas tua, mea est pulchritudo: plagæ tuæ, & singula Vulnera; sanitas animæ meæ: & mors tua vita mea. In his vivo, & in talibus vita Spiritus mei. Thom. Kemp. conc. 22. de Chr. Pass.

Pelicanus. Lem. *Ex vulnere salus.* Plaga Christi nostra medicina est. S. Ambros. l. de Spir. S. c. 8.

§. III.

Vulnera Christi proficua peccatori.

Columba mea in foraminibus petræ ostendit mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. Ex his vulneribus peccatorum tuorum immensam deduces gravitatem: ipse enim, ut dicit Is. 53. 5. *vulneratus est propter iniquitates nostras &c.* Vide S. Bernardus l. 3. de Nat. D. Ex iisdem cognoscere poteris peccatorum tuorum multitudinem. Sufficiebat quidem, ad totius Mundi delenda peccata, minimum Christi vulnus, sicut & minima ipsius Sanguinis gutta: ut quid ergo tot suscepit vulnera?

nera? nisi ut in illis agnosceres tua contra eum innumera delicta. Nam quia à *planta pedis usque ad verticem, non erat in te sanitas*. Ila. 1. 6. *sed vulnus, & livor, & plaga lumens*: ideo etiam in corpore ipsius à planta pedis nihil mansit invulneratum. Tertio ex ijs agnosce debitum satisfaciendi: non enim passus est Christus, ut à peccatoribus auferret satisfaciendi necessitatem, & obligationem; sed potius, ut suo exemplo ad eam exhortaretur, ad illamque præstandam vires præberet. Si enim innocens Dei Filius, pro alienis vulneribus curandis, tot vulnera, & dolores, passus est; quid te nocentem, pro tuis propriis vulneribus scurandis, agere, & pati, oportebit? Punietur igitur caro, ut sanetur anima; vulneretur corpus, ut servetur Spiritus. de Ponte hic Exh. 24. §. 2.

Horrendum est incidere in manus DEI viventis. Hebr. 10. 31. Si hominem inimicum habes; licet potens sit; cras tamen moriturum sperare potes: & ita erit inimicitia finis. Verum, si Deum habes; inimicum, quis finis potest expectari? Et ita ejus manus sunt manus Dei viventis in aeternum. Curate igitur hic incidere in manus DEI mortui; quæ manus sunt vulneratæ: à quo nihil mali, imò bona plurima vobis proveniant. Incidere in has manus, est, ejus sanctissimorum Vulnerum meritis ad vestra salutis remedium uti. Diez Conc. 3. D. 1. Adv.

Peccavi peccatum grande! turbatur conscientia; sed non perturbatur: quoniam vulnerum Domini recordabor. S. Bernardus l. 61. in Cant.

Quid tam efficax, ad curanda conscientia vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem? quam Christi vulnerum sedula meditatio. S. Bernardus l. 62. in Cant.

§. 4.

Vulnera Christi cur retenta in Resurrectione?

Quinque plagæ ejus, quasi quinque linguæ, sunt, Plagarum suarum cicatrices idcirco in corpore suo retinuit, & reservavit; ut victorias suas semper loquatur illis quasi linguis. Rupertus de Viç. Verbi l. 12. c. 27.

Oravit in Cruce Patrem dicens: *Pater! dimitte illis*. Luc. 23. 34. Rogat eundem indefinenter in celo, exhibendo vulnerum cicatrices; quæ pro redemptione Fidelium in suo perpeffus est corpore. S. Laur. Just. in fasciculo amoris c. 15.

Clamat idem Redemptor ad Patrem, Corporis sui cicatrices ostendens, quatenus ab æternis suppliciis sua homines interpellatione custodiat. Idem serm. in festo Corp. Chr.

Facile innatam, & naturalem, compassionem trahit ad se calamitas pauperum, & tribulati cordis deprimens moror. - Sic & ipse mediator Christus, ut divinam adversus humanum genus concitatam, pro criminibus posset mulcere justitiam; cicatrices Vulnerum

sibi reservavit in corpore: quatenus haberet semper, quod, pro reconcilianda hominum specie, irato ostenderet Patri. Idem de triumph. &c. c. 15.

Sua Passiois vulnera in corpore ideo custodivit illaesa: ut haberet: quod exhiberet Patri, & ostenderet nobis. Patri, ut illum reconciliaret offensum: nobis verò; ut in corpore jacentes mentes sursum erigeret. - Opportunè Apostolo dubio manus ostendit, & latus: quatenus in altero Creationis, in altero autem beneficium Redemptionis, objiceret. S. Laur. Just. de triumph. c. 26.

Prima erit in reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum. B. Cæsius Arell. hom. 23.

Apud Deum, optimum habemus advocatum Christum: qui, quot Vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet, quibus pro nobis apud Patrem intercedit. S. Bernardus l. 2. in Alc. Dom.

Ratio, cur cicatrices retinuerit: ut ascendens in celum semper ostenderet Deo Patri, quale genus mortis pro nobis sustinuit; & provocet eum ad misericordiam. Tertio, ut Electi, qui quotidie assumuntur in patriam coelestem, videntes easdem cicatrices in corpore Redemptoris sui, indefinenter agant ei gratias. Haymò hom. in Oct. Paschæ.

Veri amici, in signum fœderis, & amoris; servare solent ad invicem aliqua insignia, & mansucula, sibi invicem data. Unde Christus, qui verè amicus noster est, cicatrices vulnerum, quæ propter nos sustinuit, adhuc reservat. Et nos servare debemus tribulationis, laboris, & doloris, insignia; in signum fœderis, & amoris; inter nos, & ipsum. Hugo Card. in Gen. 17. 11. *ut sit in signum fœderis*.

§. V.

Vulnus Lateris Figure.

Ostium Arca. Gen. 6. 16. Vulnus Lateris.

Hugo Card. hic. Vulnus in Latere Christi, quid? nisi ostium in lateræ, arca; salvandis à facie diluvii. Guarricus l. 4. in Ram. Palm.

Filia tua de latere surgent. Ila. 60. 4. Habet JESUS filios, & filias de Latere enixas: habet apertum Latus, per quod novam progeniem, celo destinatam parturit; in eoque sinu nidificantes parvulos enutrit, & roborat. Arcones in Ila. 3. 1. Sancti Garcia regis matrem, scribunt Hispania historia, dum uterum gestaret, hasta tam feliciter secundum ventrem istam; ut continuò per patulum vulnus infans manum miserit; atqueeductus fuerit vivus, & illaesus. Nos omnes in utero gestabat Christus: qui vulnus ejus Lateri Longinus infixit, exitum ad vitam soboli aperuit. Doultreman. l. 4. 3. Sect. 1.

In illa die erit fons patens Domui David. Zach. 13. 1. Per hunc fontem intelligit Hieron. Rupertus, Hugo, Baptistinum &c. Haymò Latus Christi.

Unus

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.
Joan. 19. 34.

Est & alia Lateris hujus causa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est. Sed JESUS, qui venit, ut viris simul, & mulieribus, conferret reconciliationem; aperuit Latus pro mulieribus, ut solveret. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

Vigilanti verbò Evangelista usus est; ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulnavit, aut quid aliud; sed *aperuit*: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesia manaverunt. S. August. tr. 120. in Joan.

O si fuisset loco lanceæ! exire de Christi Latere noluissem: dixissem enim: hæc requies mea in Sæculum Sæculi; hinc habitabo, quoniam elegi eam. S. Laur. Just. de inc. div. am. cap. 1.

Pretiosum tuum dedisti sanguinem, & accepisti tabernaculum (Ecclesiam) & apertò Latere, quod est theca ejus, quod est reconditum marsupium Divinitatis, arca sanctificationis: & lanceâ, tanquam clave, in arcam injectâ. Injecta autem: non ut qui te improbe gereres; sed qui concederes, ac permitteres: dedisti pretium ex Paterno thesauro. S. Chrysof. in Pf. 14.

Pro nimio amoris sui fervore, voluit lanceâ suum Latus aperiri: ut demonstraret; quòd tradidit tibi cor suum. S. Bonaventura sum. am.

Ideo Latus suum pius, & misericors, aperuit; ut cruor te Vulneris vivificet, calor corporis refocillet, Spiritus cordis, quasi patenti,

& liberò, meatu, aspiret. Guarricus f. 4. in Ram. Palm. Aristoteles lib. de spiratione: summus animæ ardor in cordis principatu consistit. Et lib. de Spiritu: in corde calor vehementissimus.

Novimus moderamen Spiritus S. in prolatione hujus Evangelistæ, ut sic proferret: *unus militum &c.* ut apertò Latere cognoscamus dilectionem cordis usque ad mortem: & ad illum ineffabilem amorem ejus ingrediamur, quò ille processit ad nos. Et accedemus ad cor ejus, cor altum, cor secretum, cor omnia cogitans, cor omnia sciens, cor diligens: & per apertam portam siamus saltè in amoris vehementia cordiformes. Proinde sibi ad negligentiam imputet, qui non ingreditur; si apertum novit introitum. Sim. Cels. l. 13. hinc.

Voluisti, Domine, ut cor tuum lanceâ aperiretur: ut mee contemplationis ingressus mihi facilior fieret: sicut domus, cujus janua patet, incitat ad contemplandam pulchritudinem in se contentam. Stella de amore Medit. 29.

Clericus ille, qui ad Claram Vallem venit, Deo famulari: quia corpus antè delicate habere consueverat, à communi Fratrum panè, & possis, valde abhorruit. Nocte ergo quædam tristi Christus apparuit, frustum similis panis manu tenens; tunc ei porrigens dixit: comede panem istum. Cùm novitius responderet nequaquam vesci possum pane hordeaceo Christus Vulneris Lateris sui panem illum intinxit, & porrectum comedere jussit. De quo cùm gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore ejus. Itaque deinceps & panem arctum, & fabas, & reliqua legumina, magnâ delectatione comedit. Casarius l. 14. c. 80.

TITULUS XXII. UXOR.

§. I.

Bona.

Serviam tibi. Gen. 29. 18. Nota: Jacob hac servitute tam longâ, & durâ, more prisco, emit sibi uxorem, tam Liam, quàm Rachel. Moris enim fuit apud Græcos, Romanos, & Hebræos; ut viri datò pretio emerent sibi uxorem. Ità David emit Michol centum præputiis Philistinorum. 1. Reg. 18. 25. Cornelius hinc.

Cùm vidisset Angelum, festinavit, & currit ad virum suum. Judic. 13. 9. Insinuat marito, visum sibi hominem Dei, præclarâ specie, futuræ sobolis ferentem oracula: nec passa sine virò scire vel divinitatis secretum. S. Ambros. ep. 60. apud Bæzat. 1. l. 1. c. 7. §. 19.

Cerva charissima. Prov. 5. 19. id est, illa conjux sit tibi charissima; quæ, sicut cerva serpentes, ita persequitur scortatores. Hugo Card. hinc.

Jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus. Matth. 18. 25. Quorsum, ô Christe, jubes uxorem ejus venundari? quid mulier vetula valebit? quis pro illa aliquid volet pretii dare? Sinè dubiò majoris erant pretii, & æstimationis, olim mulieres; quàm jam sint. Gen. 29. 18. Jacob pro Rachae servavit septem annis: nunc autem in Matrimonium collocent, nummos præbent. Diez conc. 1. Dom. 21. Pent.

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem Fidelem. 1. Cor. 7. 14. Nihil potentius, muliere bonâ ad instruendum, & informandum, virum, quodcunque voluerit. Neque tam facile magistros, neque amicos, neque principes, patietur; ut conjugem admonentem, & consulentem. Habet enim voluptatem quandam admonitio uxoria; cùm plurimum amet, cui consultit. S. Chrysof. hom. 6. in Joan.

§. 2.